



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LVIII. Circa doctrinam articuli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

②. 12. art. 1.

est Et sic hoc nomen, Deus, significat naturam diuinam. Impositum est enim nomen hoc ad aliquid significandum supra omnia existens: quod est principium omnium, & remotum ab omnibus. Hoc enim intendunt significare nominantes Deum.

Conclusio articuli est. *Nomen, Deus, quoad id, unde impositum est, significat actionem, sed ex parte illius, ad quod significandum impositum est, significat substantiam, & naturam ipsam Dei.*

DISPUT. LVIII.

Circa doctrinam articuli.

Quid senserint Patres de hoc nomine, DEVS, cap. 1.

Sententia S. Thomae de eadem re, cap. 2.

Qua ratione nomen, DEVS, dici possit connotatiuum, cap. 3.

CAPVT I.

Qui senserint Patres de hoc nomine, DEVS.

Nemo ex Scholasticis præter Caiet. aliosque Thomistas de hac re disputauit; ex Patribus vero Damasc. 1. de fide c. 12. eam tractauit diligenter, cuius sententiam, vt explicaret S. Th. hunc art. instituit. Docet itaque Damascen. nomen *Dei*, ex quo latinum videtur, ductum esse a *θεός* & hoc est, a verbo, quod significat prospicere, quia omnia Deus prospiciat: aut a verbo *θεωω*, quod est currere, quia quasi discurrens per omnia creata singula foueat, & conseruet: aut a verbo *θεωω*, quod est vrere, quoniam Deus ignis dicitur vitia absumens: quam vocis Etymologiam etiam tradidit Athanas. lib. de definitionibus parum à principio, & ex parte probauit Nazian. orat. 16. nu. 70.

Docet deinde Damasc. hoc nomen, *Deus*, & illud Exod. 3. *Qui est, est.* præcipua: cetera autem non ita perfecte Deum significare: inter ea vero duo, priorem locum tribuit nomini, *Qui est.* Id ipsum docuerant Nazian. loco allegato, Nicetas in orat. 42. Nazian. in illa verba, *Deus & semper erat, & Elias Creten. in orat. 1. Nazian. in illa verba, Quin pietatis.* &c. Ex his tamen Nazian. & Nicetas ea ratione assenserunt, inter cetera nomina hæc esse præcipua, quia illud nomen, *Qui est*, ipsum esse significat: Deus autem significat perfecte, & summam operationem ipsius, scilicet omnia prospicere: in quo videntur doctrinæ huius art. aduersari: in eo namque contendit S. Doctor nomen, *Deus*, substantiam etiam significare: sed quo pacto S. Th. & Damascen. contraria non docuerint, paulo post demonstrabimus. Alias vero ideo putat, hæc duo nomina potissima esse inter cetera, quia Dei substantiam aptius, quam alia significant: quare sententiam S. Thom. adstruere videtur. Idem docuit etiam Athanas. in epist. quadam de decretis Nicenæ Synodi, quæ incipit. *Relle à te factum*, post medium illius, ubi ait: *Cum dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil nos eorum, quæ circa eum sunt, sed ipsius substantiam significamus.* Neque obstat id, quod Damasc. lib. 1. de fide c. 12. ait, nempe inter Dei nomina primum esse, *Bonum*, vt etiam colligitur ex eodem lib. c. 2. 3. & 4. Quia vt optimè notauit Chrysostomus in illud c. 12. inter nomina, quæ Dei substantiam per effectus ostendunt, primum locum obtinet, *Bonum*: at verò nomen, *Qui est*, præcipuum, & primum est, ad significandam Dei substantiam, & naturam, vt in se est occultissime latens,

CAPVT I & II.

CAPVT II.

Sententia S. Thomae de eadem re.

Vt hanc Patrum sententiam explicet S. Th. s. Th. hanc notationem præmittit. Si species id, unde desumptum est nomen, *Deus*, actionem significat, nempe aut prospiciendi, aut discurrendi, aut vtendi: si vero id, ad quod significandum impositum est, denotat ipsam Dei substantiam, vt in conclusione articuli deduximus. In cuius rei maiorem explanationem primum obseruandum est, nomen, *Deus*, nuncupatiue aliquando hominibus accommodari, vt Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum*: verum de significatione eius hoc modo nunc non agimus: communiter vero significat primum omnium ens, omnium rerum causam, & principium.

Deinde notandum est, triplicia esse nomina, quæ Deo ratione actionis tribuuntur; nonnulla adiectiua, significantia actionem, qualia sunt. *omnipotens, sapiens, &c.* quædam substantiua, significantia quoque actionem, vt *creator, iudex, rector, &c.* alia vero, quæ derivationem appellantur, is ab actione sumplerunt, eam tamen iam amplius formaliter non significant, sed ipsam substantiam denotant; & huiusmodi putat S. Thom. esse nomen, *Deus*. Est autem inter hæc manifestæ differentia: nam primi, & secundi generis nomina, quamuis pro substantia Dei supponant, & ipsum Deum, vt materiale significatum denotent, iuxta varias regulas quas infra disput. 156. & seq. trademus, formaliter tamen actionem significant, & exprimunt, sub qua Deus ipse significatur. At vero nomina tertij generis, vt, *Deus*, licet ab actione derivata fuerint, ex vtu tamen actionem iam non significant, sed substantiam, quare etiam si nomen, *Deus* ponatur ex parte prædicti, ubi solum secundum aliquorum sententiam nomina supponunt pro formali significato; nunquam denotat actionem, sed substantiam, & naturam ipsius primæ causæ. At vero nomina, *omnipotens, & creator, &c.* similia primi, & secundi generis licet ex parte subiecti, quia pro materiali significato supponunt, substantiam Dei denotent; ex parte tamen prædicti semper actionem significant, & formaliter eam exprimunt: quare cum dicimus, *Pater est Deus*, non significamus Patrem omnia prospicere, aut discurrere, aut vrere; sed Patrem esse substantiam illam primam, quam eo nomine appellamus. Contra vero cum dicimus, *Pater est omnipotens, & creator*, denotamus posse omnia efficere, & creare vniuersa, quod est significare formaliter actionem.

Id, quod de nomine, *Deus*, dictum est conuenit etiam alijs nominibus rerum creaturarum: nam nomen, *Lapis*, deriuatur à ledendo pedem, nomina etiam multarum familiarum ab aliqua actione, aut effectu desumpta sunt: & tamen iam sunt vsu ipso accommodata ad substantiam ipsam significandam. Signum huius est, quod his nominibus ad denotandam rem illam vtuntur, qui omnino derivationem ignorant: ergo illa non assumuntur ad significandum id, unde desumpta sunt. Ceterum quamuis nomen, *Deus*, denotet substantiam Dei, non autem eius operationem: tamen eam non significat, quid est, sed quod est, vt supra art. 3. ex Cyparissio notauimus.

CAPVT

I
Caietanus,
Damascen.
S. Thom.

Nomini,
Deus, Etymologia.

Athanas.
Nazian.

Quod sit
præcipuum
inter Dei nomina.

Nicetas Elias
Cret.

Athanas.

Damasc.

Chrysostomus.

3
Primum notabile,

Secundum notabile.

Nomen, Deus
significat actionem
substantiam, non
actionem.

4

Qua ratione nomen, Deus, dici possit connotatiuum.

Hoc nomen, Deus, quidam asserunt esse connotatiuum creaturarum, hoc est, Deum ipsum ita significare, ut simul aliquo modo denotet creaturas. *Gabriel* vero in 1. d. 2. q. 1. art. 2. & alij recentiores Theologi docent, aliqua Dei nomina non esse connotatiua; quale arbitrantur esse nomen, Deus. Forsan inter eos non est rerum, sed verborum dissensio: nam si connotatiuum intelligamus esse illud, quod ita rem vnam significat, ut eam sub respectu ad aliam denotet, ut communiter dici solet connotatiuum; nomen Deus, non erit connotatiuum, quia non significat Deum sub relatione aliqua ad creaturas. Alia vero nomina. Ut creator, omnipotens, sapiens, hoc pacto connotatiua sunt. Nam licet nomen Deus, ab actione derivatum sit, ratione cuius connotatiuum hoc modo esse deberet: ex usu tamen iam accommodatum est ad significandum ipsam substantiam Dei, non actionem: quod vero *Nazianzen.* orat. illa 36. num. 71. connumerat nomen Deus, inter relatiua, parum refert. Id enim fecit attendens magis ad Etypon nominis, quam ad ipsum significatum, quod iam ex usu habet. Quocirca neque *Nicetas* in orat. illa 43. *Nazianzen.* nec *Damasc.* locis citatis inter relatiua nomina vel hoc nomen Deus, ponunt. Cetera autem nomina, quae relationem denotant Dei ad creaturas, connotatiua hoc modo appellari possunt.

Quod si connotatiuum sit illud, quo auditur, aliquid aliud etiam concipere cogimur præter rem ipsam significatam: dubium non est, nomina omnia dei esse connotatiua. Nam cum ipsum Deum instar rerum visibilibus concipiamus, non possumus audita voce, Deus, ut ipsam rem intelligamus, non apprehendere aliquid aliud, cuius instar deus ipse à nobis cognoscatur: quod nullus Scholasticorum negare potest. Hæc autem non videtur esse proprie connotatio: quia connotatio proprie conuenit nomini, quoties auditur eo, ex vi impositionis ipsius, & usus aliquid aliud concipimus præter præcipuum significatum, & hoc est, ex vi sua aliquid aliud exprimere, & connotare. Porro auditu nomine quantumvis ex impositione absoluto, aliquid aliud præter directum significatum concipere, cuius instar cognoscamus id, quod nomine significatur, non sufficit, ut nomen ipsum sit connotatiuum. doctrina hæc colligitur ex *S. Thom.* in hac q. art. 11. ad 3.

ARTICVLVS IX.

Utrum hoc nomen, Deus, sit incommunicabile.

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen deus, sit communicabile. Cuiusque enim communicatur significata per nomen, communicatur, & nomen ipsum. Sed hoc nomen Deus (ut dictum est) significat diuinam naturam, quæ est communicabilis alijs: secundum illud 2. Pet. 1. Magna & pretiosa promissa nobis donauit, ut per hoc efficiamur diuinæ consortes naturæ: ergo hoc nomen, Deus, est communicabile.

2. Præterea, Sola nomina propria non sunt communicabilia. Sed hoc nomen,

Deus, non est nomen proprium, sed appellatiuum: quod patet ex hoc, quod habet plurale, secundum illud *Psalm.* 81. Ego dixi, dii estis: ergo hoc nomen Deus est communicabile.

3. Præterea, Hoc nomen, Deus, imponitur ab operatione, ut dictum est. Sed alia, nomina, quæ imponuntur deo ab operationibus, siue ab effectibus sunt communicabilia, ut bonus, sapiens, & huiusmodi: ergo hoc nomen, Deus, est communicabile.

Sed contra est, quod dicitur *Sap.* 14. Incommunicabile nomen lignis, & lapidibus imposuerunt: & loquitur de nomine deitatis: ergo hoc nomen, Deus, est nomen incommunicabile.

Respondeo dicendum, quod aliquid nomen potest esse communicabile dupliciter. Vno modo proprie. Alio modo per similitudinem. Proprie quidem communicabile est, quod secundum totam significationem nominis est communicabile multis. Per similitudinem autem communicabile est, quod est communicabile secundum aliquid eorum, quæ includuntur in nominis significatione. Hoc enim nomen, leo, proprie communicatur omnibus illis, in quibus inuenitur natura, quam significat hoc nomen, leo. Per similitudinem vero communicabile est illis, qui participant quid leoninum, ut puta audaciam, vel fortitudinem: qui metaphorice leones dicuntur. Ad sciendum autem, quæ nomina proprie sunt communicabilia, considerandum est, quod omnis forma in supposito singulari existens, per quod indiuiduatur, communis est multis, vel secundum rem, vel secundum rationem saltem. Sicut natura humana communis est multis secundum rem, & rationem: natura autem Solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum. Potest enim natura Solis intelligi, ut in pluribus suppositis existens. Et hoc ideo, quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari. Vnde esse in vno supposito singulari, vel in pluribus, est præter intellectum naturæ speciei. Vnde seruatō intellectu naturæ speciei potest intelligi, ut in pluribus existens. Sed singulare ex hoc ipso, quod est singulare, est diuisum ab omnibus alijs. Vnde omne nomen impositum ad significandum aliquid singulare, est incommunicabile & re, & ratione. Non enim potest in apprehensione cadere pluralitas huius indiuidui. Vnde nullum nomen significans aliquid indiuiduum, est communicabile multis proprie, sed solum secundum

secundum similitudinem: sicut aliquis metaphorice potest dici Achilles, in quantum habet aliquid de proprietatibus Achillis, scilicet fortitudinem. Formæ vero, quæ non indiuiduantur per aliud suppositum, sed per seipsas: quia scilicet sunt formæ subsistentes, si intelligerentur secundum quod sunt in seipsis, non possent communicari necre, neque ratione: sed forte per similitudinem, sicut dictum est de indiuiduis. Sed quia formas simplices per se subsistentes non possumus intelligere secundum quod sunt, sed intelligimus eas ad modum rerum compositarum habentium formas in materia, ideo, ut dictum est, imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito. Vnde quantum pertinet ad rationem nominum, eadem ratio est de nominibus, quæ a nobis imponuntur ad significandum naturas rerum compositarum, & de nominibus, quæ a nobis imponuntur ad significandum naturas simplices subsistentes. Vnde, cum hoc nomen, deus, impositum sit ad significandum naturam diuinam, ut dictum est: natura autem diuina multiplicabilis non est, ut supra ostensum est: sequitur quod hoc nomen, deus, incommunicabile quidem sit secundum rem, sed communicabile quidem sit secundum opinionem: quemadmodum hoc nomen Sol esset incommunicabile secundum opinionem ponentium multos Soles. Et secundum hoc dicitur Galat. 4. His qui natura non sunt dij seruiebatis, Gloss. non sunt dij natura, sed opinione hominum. Est nihilominus communicabile hoc nomen, deus, non secundum suam totam significationem, sed secundum aliquid eius per quandam similitudinem, ut dij dicantur, qui participant aliquid diuinum per similitudinem secundum illud: Ego dixi, dij estis. Si vero esset aliquod nomen impositum ad significandum deum non ex parte naturæ, sed ex parte suppositi secundum quod consideratur, ut hoc aliquid, illud nomen esset omnibus modis incommunicabile: sicut forte est nomen Tetragrammaton apud Hebræos. Erit simile, si quis imponeret nomen Soli, designans hoc indiuiduum.

Ad primum ergo dicendum, quod natura diuina non est communicabilis, nisi secundum similitudinis participationem.

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen, deus, est nomen appellatum, & non proprium: quia significat naturam diuinam, ut in habente: licet ipse deus se-

cundum rem non sit nec vniuersalis, nec particularis. Nomina enim non sequuntur modum essendi, qui est in rebus: sed modum essendi secundum quod in cognitione nostra est. Et tamen secundum rei veritatem est incommunicabile, secundum quod dictum est de hoc nomine Sol.

Ad tertium dicendum, quod hæc nomina, bonus, sapiens, & huiusmodi similia, imposita quidem sunt à perfectionibus precedentibus à Deo in creaturas: non tamen sunt imposita ad significandum diuinam naturam: sed ad significandum ipsas perfectiones absolute. Et ideo etiam secundum rei veritatem sunt communicabilia multis. Sed hoc nomen, Deus, impositum est ab operatione propria Deo: quam experimur continue ad significandam diuinam naturam.

Conclusio argumenti est: Nomen, DEVS, reuera pluribus non potest proprie communicari: bene tamen secundum opinionem: at qui analogice, & nuncupatiue, potest reuera communicari, quod dici solet per participationem, sicut homines insignes, dii nuncupantur.

ARTICVLVS X.

Utrum hoc nomen, Deus, dictum de deo per participationem, & per naturam, & per similitudinem, sit æquiuocum.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen deus, vniuoce dicatur de deo per naturam, & per participationem, & secundum opinionem. Vbi enim est diuersa significatio, non est contradictio affirmantis, & negantis: æquiuocatio enim impedit contradictionem. Sed Catholicus dicens, idolum non est Deus; contradicit pagano dicenti, idolum est Deus: ergo Deus utrobique sumptum vniuoce dicitur.

2. Præterea, Sicut idolum est Deus secundum opinionem, & non secundum veritatem, ita fruitio carnalium delectationum dicitur felicitas secundum opinionem, & non secundum veritatem; sed hoc nomen, beatitudo, vniuoce dicitur de hac beatitudine opinata, & de hac beatitudine vera: ergo & hoc nomen, deus, vniuoce dicitur de deo secundum veritatem, & de deo secundum opinionem.

3. Præterea, Vniuoce dicuntur quorum est ratio vna. Sed Catholicus cum dicit vnum esse Deum, intelligit nomine Deum omnipotentem, & super omnia venerandam, & hoc idem intelligit gentilis cum dicit, idolum esse Deum: ergo hoc nomen vniuoce dicitur utrobique.

Sed contra, illud quod est in intellectu, est

Ar. 1. huius
q. ad 2. argu-
men.

Art. præc.

2. 1. art. 3.

Gloss. inter li-
nea, ibi.

In cor. art.

77

Supra art. 5.
ca. & infra
q. 29. ar. 4. &
1. prol. art. 2.
& 4. 35. ar.
4. & 1. cor.
c. 12. 33. &
34. & ueni.
3. 2. art. 11.
& 1. 2. 7.
art. 1. 7. & 1. 2.
3. cap. 27.

Primo Periher. c. 1. l. 1. quibusque philosophis.
est similitudo eius, quod est in re, ut dicitur in 1. Periher. Sed animal dictum de animali vero, & de animali picto, æquiuoce dicitur. Ergo hoc nomen, Deus, dictum de Deo vero, & de Deo secundum opinionem æquiuoce dicitur.

4. Præterea. Nullus potest signare id, quod non cognoscit. Sed gentilis non cognoscit naturam diuinam. Ergo cum dicit, idolum est Deus, non signat veram diuitatem: hanc autem signat Catholicus dicens vnum esse Deum. Ergo hoc nomen, Deus, non dicitur vniuoce, sed æquiuoce de Deo vero, & de Deo secundum opinionem.

Respondeo dicendum quod hoc nomen Deus, in præmissis tribus significationibus non accipitur neque vniuoce, neque æquiuoce, sed analogice: quod ex hoc patet. Quia vniuocorum est omnino eadem ratio, & æquiuocorum est omnino ratio diuersa: in analogicis vero oportet, quod nomen secundum vnam significationem acceptum ponatur in definitione eiusdem nominis secundum alias significationes accepti. Sicut ens de substantia dictum ponitur in definitione entis, secundum quod de accidente dicitur: & sanum dictum de animali ponitur in definitione sani secundum quod dicitur de vrina & de medicina. Huius enim sani, quod est in animali, vrina est significatiua, & medicina factiua. Sic accidit in proposito. Nam hoc nomen Deus secundum quod pro Deo vero sumitur, in ratione Dei sumitur secundum quod dicitur Deus secundum opinionem vel participationem: Cum enim aliquem nominamus Deum secundum participationem, intelligimus nomine Dei aliquid habens similitudinem veri Dei. Similiter cum idolum nominamus Deum, hoc nomine, Deus, intelligimus significari aliquid, de quo homines opinantur quod sit Deus, & sic manifestum est, quod alia & alia est significatio nominis: sed vna illarum significationum clauditur in significationibus alijs. Vnde manifestum est quod analogice dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen multiplicitas non attenditur secundum nominis prædicationem, sed secundum significationem. Hoc enim nomen homo, de quocunque prædicatur, siue vere, siue falsè, dicitur vno modo. Sed tunc multipliciter diceretur, si per hoc nomen, homo, intenderemus significare diuersa, puta, si vnus intenderet significare per hoc nomen, homo, id quod vere est homo, & alius intenderet significare

eodem nomine lapidem, vel aliquid aliud. Vnde patet quod Catholicus dicens idolum non esse Deum, contradicit pagano hoc asserenti, quia vterque vtitur hoc nomine, Deus, ad significandum verum Deum. Cum enim paganus dicit idolum esse Deum, non vtitur hoc nomine secundum quod significat Deum opinabilem. Sic enim verum diceret, cum etiam Catholici interdum in tali significatione hoc nomine vtantur, ut cum dicitur, omnes dii genitum dæmonia.

Et similiter dicendum ad secundum & tertium. Nam illæ rationes procedunt secundum diuersitatem prædicationis nominis, & non secundum diuersam significationem.

Ad quartum dicendum quod animal dictum de animali vero & de picto, non dicitur pure æquiuoce. Sed Philosophus largo modo accipit æquiuoca secundum quod includunt in se analogia: quia & ens, quod analogice dicitur, aliquando dicitur æquiuoce prædicari de diuersis prædicamentis.

Ad quintum dicendum, quod ipsam naturam Dei, prout in se est, neque Catholicus, neque paganus cognoscit, sed vterque cognoscit eam secundum aliquam rationem causalitatis, vel excellentiæ, vel remotionis, ut supra dictum est. Et secundum hoc in eadem significatione accipere potest gentilis hoc nomen Deus cum dicit, idolum est Deus in qua accipit ipsum Catholicus dicens, idolum non est Deus. Si vero aliquis esset qui secundum nullam rationem Deum cognosceret, nec ipsum nominaret, nisi forte sicut proferimus nomina, quorum significationes ignoramus.

Explicatio Articuli.

Conclusio est. De Deo secundum naturam, & de Deo secundum opinionem, & per participationem dicitur nomen Deus, secundum analogiam. Difficilis videtur mens S. Thom. in hoc art. nam si dicat, tria illa significata nominis Deus, analogice contineri sub eodem nomine Deus, videtur falsum. Ethnici enim, qui suum Iouem Deum appellant, idem omnino eo nomine significant, quod nos eodem exprimere volumus: licet illi fallantur, nos autem vere eo vtamur: hoc autem non obest, quo minus nomen dicatur vniuoce de suo Ioue, & de nostro Deo, secundum opinionem ipsorum: sicut si aliquis existimaret, simias esse homines, vniuoce vteretur hoc nomine, homo, ad significandum veros homines, & simias: ergo solum potest hoc nomen Deus, analogice dici de Deo per naturam, aut secundum opinionem ex vna parte, & de Deo per participationem ex alia: sed Deo per naturam & secundum opinionem omnino vniuoce conueniet.

Obscura sane est mens S. Thom. in hoc art. eam tamen ex corpore, & solutione primi video mihi colligera.

In antep. ad. c. de æquiu. c. 10. l. 1.

12. ar. 12.

S. Thom.

Ratio dubitandi.

8

*Pro solutione
nota.*

colligere. Est itaque notandum, deum secundum opinionem, quales sunt Dij Gentilium, dupliciter posse nomine *Deus* significari, quatenus ad duos intellectus significatio refertur: primum ad intellectum Gentilis, qui persuasus est, plures esse Deos, & huic vniuoce significat nomen, *Deus*, plures, siue inter eos verum deum Christianorum comprehendamus, siue plures tantum. Gentilium: nam in intellectu ipsius gentilis omnes sunt veri dij: putat enim veram naturam deitatis ipsis conuenire, tamen hoc tantum sit secundum opinionem, non re vera, sed intellectui fidei, qui putat, esse vnum solum Deum, ceteros autem Gentilium falsos, nomen, *Deus*, non significat vniuoce plures Deos, tamen eos, quos Gentiles adorant, fideles etiam, deos Gentilium appellent, sed analogice, quia nomen *deus* fidei significat proprie verum Deum, alios vero, secundum opinionem Gentilium: nec apprehendit eos, ut veros Deos sed ut Deos existimatos: & respectu huius intellectus loquitur S. Thom. in hoc art. cum ait, nomen, *Deus* analogice dici vero Deo, & de deo secundum opinionem. Nam intellectui gentili vniuoce omnes Deos significat, eo quod licet ipse opinetur, esse Deos, qui reuera non sunt: putat tamen esse veros, & non solum secundum opinionem. Quocirca Christianus, qui dicit, *Idolum non est deus*, vere contradicit Ethnico dicenti, *Idolum est deus*, & uterque accipit nomen, *Deus*, in primaria significatione veri Dei, quæ propria est: ergo nomen, *deus*, Ethnico vniuoce est ad verum, & falsos Deos, quos ipse veros existimat: alioqui Catholicus negans idolum esse Deum, ei non contradiceret: quia Catholicus utitur eo nomine in propria significatione pro vero deo, si autem Ethnicus eo uteretur analogice, non esset contradictio: quia non esset idem terminus: quod ad contradictionem necessarium est.

ARTICVLVS XI.

Utrum nomen, Qui est, sit nomen proprium dei, & magis conueniens diuine nature.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen, qui est, non sit maxime proprium nomen Dei. Hoc enim nomen, *Deus*, est nomen incommunicabile, ut dictum est. Sed hoc nomen, qui est, non est nomen incommunicabile. Ergo hoc nomen, qui est, non est maxime proprium nomen Dei.

2. Præterea. Dionys. dicit 3. cap. de diuin. nomin. quod boni nominatio excellenter est manifestatiua omnium Dei processionum. Sed hoc maxime Deo conuenit, quod sit vniuersale rerum principium, ergo hoc nomen bonum est maxime proprium Dei: & non hoc nomen, qui est.

3. Præterea. Omne nomen diuinum videtur importare relationem ad creaturas: cum *Deus* non cognoscatur à nobis nisi per creaturas. Sed hoc nomen qui est, nullam importat habitudinem ad creaturas. Ergo hoc nomen, qui est, non est maxime proprium nomen Dei.

Sed contra est quod dicitur Exod. 3.

quod Moyse querenti, si dixerint mihi quod est nomen eius; quid dicam eis? & respondit ei dominus. Qui est misit me ad vos. Ergo hoc nomen, qui est, est maxime proprium nomen Dei.

Respondeo dicendum, quod hoc nomen, qui est, triplici ratione est maxime proprium nomen Dei. Primo quidem propter sui significationem. Non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse. Vnde cum esse dei sit ipsa eius essentia, & hoc nulli alij conueniat, ut supra ostensum est: manifestum est, quod inter alia nomina hoc maxime proprie nominat Deum. Vnumquodque enim denominatur à sua forma. Secundo propter eius vniuersalitatem. Omnia enim alia nomina, vel sunt minus communia: vel si conuertantur cum ipso, tamen addunt aliqua supra ipsum secundum rationem. Vnde quodammodo informant, & determinant ipsum. Intellectus autem noster non potest ipsam dei essentiam cognoscere in statu viæ, secundum quod in se est: sed quemcunque modum determinet circa id, quod de deo intelligit, deficit à modo quo deus in se est. Et ideo quanto aliqua nomina sunt minus determinata, & magis communia, & absoluta, tanto magis proprie dicuntur de Deo à nobis. Vnde & Damascenus dicit, quod principaliter omnibus, quæ de deo dicuntur nominibus est, *Qui est*: totum enim in seipso comprehendens habet ipsum esse velut quoddam pelagus substantiæ infinitum & indeterminatum. Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiæ rei: sed hoc nomen, *Qui est*, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes. Et ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum. Tercio vero ex eius significatione. Significat enim esse in presenti. Et hoc maxime proprie de Deo dicitur, cuius esse non nouit præteritum vel futurum, ut dicit August. in 5. de Trinitate.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen, qui est, est magis proprium nomen dei, quam hoc nomen *deus*, quantum ad id, à quo imponitur, scilicet ab esse, & quantum ad modum significandi & con- significandi, ut dictum est. Sed quantum ad id, ad quod imponitur nomen ad significandum, est magis proprium hoc nomen, *deus*, quod imponitur ad significandum naturam diuinam. Et adhuc magis proprium nomen est Tetragrammaton: quod est impositum ad significandam ipsam dei substantiam incommunicabilem, & (ut sic liceat loqui) singularem.

Ad se-

78
2. d. 8. q. 1.
art. 1. & 3.
p. q. art. 1. c.
q. 7. art. 1.
c. 1. & 2. q.
10. art. 1. q.
3. in principi-
pio. 78. art. 9.
huius q. c. 3.
in principi-
liis.

Lil. 1. o. 1. ob.
fidit. c. 12.

Cilro 5. de
Trin. c. 1. 3.
Et lib. 83.
quæst. 9. 17.
tom 4.

In cor. art.

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen, bonum, est principale nomen Dei, in quantum est causa, non tamen simpliciter. Nam esse absolute præintelligitur causa.

Ad tertium dicendum, quod non est necessarium, quod omnia nomina diuina, importent habitudinem ad creaturas, sed sufficit quod imponentur ab aliquibus perfectionibus procedentibus à Deo in creaturas, inter quas prima est ipsum esse, à qua sumitur hoc nomen, Qui est.

Conclusio autem est, Nomen QVI EST, magis proprie, & præcipue inter reliqua essentiam Dei exprimit, eam optime explicat S. Thom. in corpore art. & apud Sanctos Patres, quos sequenti disputatione commemorabimus, sine controversia est, in solutione tamen difficiliorem habet S. Thom. doctrinam, quam ex professo libet examinare.

DISPUT. LIX.

An idem sit nomen, QVI EST, & tetragrammaton, quod vulgo dicitur, Iehova.

Due sententia extrema de hac re. cap. 1.

Verior opinio. cap. 2.

Posterior pars opinionis nomen, QVI EST, & tetragrammaton idem esse. cap. 3.

CAPVT I.

Due sententia extrema de hac re.

Opinio S. Thom. in solut. est esse duo distincta nomina Dei, ad ipsum significandum imposita, nomen, Qui est, & nomen tetragrammaton, seu nomen Iehova, quam prius tradiderat Hier. in Epist. ad Marcellam, quæ est ordine 138. probatur vero ex eo, quod Exodi 3. cum Moyses mitteretur à Domino ad filios Israël, & ipse interrogasset dominum his verbis, Si dixerint mihi quod est nomen eius, quid dicam eis? Respondit, Qui est, misit me ad vos. Sed paulo post eodem cap. dicitur, Dominus, Deus Patrum vestrorum, in Hebræo ponitur nomen יהוה, Iehova, quod dicitur tetragrammaton: ergo sunt distincta nomina.

In hanc sententiam refertur Burgen. qui tamen in additione ad tertium cap. Exodi quamuis hanc Doctoris sancti opinionem putet probabilem, ipse aliam docuit; asserit enim, cum eo capite dixit Dominus, Ego sum qui sum, & iterum, Quis est, misit me ad vos, noluisse sibi nomen aliquod imponere, quo suam essentiam peculiariter denotaret (quale aliqui putant esse illud, Qui est) sed voluisse tantum indicare, se futurum ducem, & asserturum in omnibus laboribus peregrinationis populo Israelitico: nam ubi vulgata legit, Ego sum, qui sum, in Hebræo sic habetur, יהי עמך יהוה Ebieb aser ebich hoc est, Ero, qui ero: & iterum, ubi Vulgata legit, Quis est, misit me ad vos, in Hebræo sic dicitur, Quis est, misit me ad vos. Sensus autem est, ut qui Burgen. Ego ero, qui vobiscum semper ero, & iterum, qui ero, hoc est, qui dixit, Ero vobiscum, misit me ad vos: & hanc inquit esse expositionem Hebræorum. Quare cum postea in eodem cap. 3. Exodi dicitur, dominus Deus patrum vestrorum, ubi ponitur nomen tetragrammaton Iehova, non ponitur quasi

Valquez in 1. pars. Tomus I.

CAPVT I. & II.

313

quasi alterum nomen, sed cum antea nullum nomen Dei peculiare posuit fuisse, hic ponitur illud, quod primum, & ineffabile esse dicitur.

Hanc expositionem testatur Lippomanus in catena super illum locum, esse Hebræorum, eamque secutus est Beda 4. tom. in annotat. in Exod. c. 3. sic enim interpretatur, Ego sum, qui sum, id est, ego sum, qui fui cum Patribus vestris, & sum, qui vobiscum ero. Fauter etiam Hugo de S. Vict. tom. 1. in annotat. in Exod. c. 1. qui licet alio modo ea verba interpretetur, non tamen putat peculiare aliquod nomen Dei in illis contineri: imo potius dicit, esse phrasim quandam nolentis explicare nomen suum. Cum enim Moyses nomen Dei interrogasset respondit Dominus, Ego sum, qui sum, ac si diceret, est ne possibile, ut nomen meum toties repetitum, & antea notum, ab aliquo ignoretur? Subdit aliam expositionem, quæ Bedæ interpretationi affinis est: atque ex ipsa sententia prædicta Burgen. confirmatur, Ego sum, qui sum, supple tecum, ut facias ea miracula, & potentia.

CAPVT II.

Verior opinio.

Probabilior, & communior opinio est, quæ docet illud, Qui est, quod habetur Exod. 3. & nomen tetragrammaton, quod ibidem ponitur, esse idem omnino. Quæ sententia duo continet, vnum est, illud, Qui est, esse nomen Dei, atque eo usum fuisse Dominum Exod. 3. ut sibi nomen imponeret, & suam essentiam exprimeret Moysi. Alterum est, esse omnino idem nomen, atque ad idem, eodemque modo significandum impositum esse. Priorem partem in hoc cap. probabimus, posteriorem vero in sequenti.

Cuius rei gratia primum notandum est, ut optime obliuauit Lippomanus in catena super Exod. in illud, quod ex cap. 3. citauimus, parum interesset, quod vulgatus interpres tempus futurum, quod in Hebræo est, Ero, qui ero & rursus, Ero misit me ad vos, vertat de præsentis, Ego sum, qui sum, & iterum, Quis est, misit me ad vos, in Hebræo enim sæpenumero futurum ponitur pro præsentis, quo Hebræi carent, Genes. 37. cum vir ille inuenisset Ioseph errantem in agro, dixit, ut habetur in Hebræo: quid quæres, aut quid vestigabis; nostra vero vulgata legit, Quis quæris? & Iob. cap. 1. ubi vulgatus vertit, Unde venis? in Hebræo dicitur, Unde venies; sed & in nostra vulgari lingua Hispanica id aliquando accidit, nam simili interrogatione de futuro dicimus, Tu modo veniens ex tali parti, ac si diceremus, venis. Deinde licet dicamus, futurum ibi non poni pro præsentis, tamen eodem modo natura & essentia Dei peculiariter explicatur utroque tempore & præsentis, & futuro, Sum, qui sum, & Ero qui ero, ut inferius patebit.

His positis prior pars nostræ sententiæ facile probatur auctoritate, & testimonio veterum Scripturæ, & Patrum. Est autem in primis Philonis in lib. cui titulus est, Quod deterius potiori insidari soleat, tur. qui circa finem illius affirmat, nomen, Qui est, vel, qui sum, esse nomen peculiare Dei, peculiariter quoque naturam illius, & modum substantiæ expressum ab ipso Deo Exod. 3. Idem asserunt Iustin. in orat. p. ad gentes, in medio, Nazianz. orat. 37. quæ est de Theologia nuda. 72. Origen. homil. unica in lib. Reg. in illud anne. Nullus est alius præter te, Hieron. tom. 6. in comment. magni Epist. ad Eph. in illud cap. 3. Ex quo omnis paternitas.